

## **Obligační (závazkové) právo**

### **Čl. 1085**

Plus caucionis est in rem quam in personam, quia si res est pignori data, quilibet eam possidens convenitur; sed si persona est obligata, alter eius nomine conveniri non potest.

### **Čl. 1078**

Si filius sub condicione stipulatus emancipatus fuerit, deinde exiterit condicio, patri accio competit: quin in stipulacionibus id tempus spectatur, que contrahimus.

### **Čl. 1193**

Melior condicio nostra per servos fieri potest, deterior fieri non potest. Sed fallit in contractu, ubi eciam invito dominium obligat de peculio.

### **Čl. 840**

„Sponsio“ appellatur non solum que per sponsus interrogacionem fit, sed omnis stipulacio promissi.

### **Čl. 838**

„Opere locato conducto“: hiis verbis significare Labeo ait id opus, quod Greci ita vocant, id est ex opere facto corpus aliquod perfectum.

### **Čl. 1142**

Donari videtur, quod nullo iure cogente conceditur.

### **Čl. 1033**

„Munus“ proprie est, quod (necessarie obimus) lege vel eius, qui iubendi habet potestatem. „Dona“ autem proprie sunt, que nulla necessitate sed sponte prestantur.

### **Čl. 1015**

Inter „donum“ et „munus“ hoc interest, quod inter genus et speciem: nam genus esse domum Labeo ait a donando deinde, munus speciem.

### **Čl. 1054**

„Pignus“ est appellacione a pungnus, quia res, que pignori dantur, manu traduntur. Unde pignus rem mobilem continet.

### **Čl. 1132**

Fructus rei est vel pignori dare licere.

### **Čl. 1007**

„Commendare“ nichil aliud est quam deponere.

### **Čl. 268**

Depositarius tenetur de casu fortuito in quinque casibus. Primus, si pactum interveniat. Secundus, si mora precedat. Tercius, si culpa. Quartus, si dolus. Quintus, si gracia tantum accipientis sit depositum.

**Cl. 395**

Equus infra triduum vendenti est restituendus ratione duorum defectuum, et ementi premium suum restituere vice versa.

**Cl. 396**

Si ager venditur cum tritico et de tritico non fuerit facta mencio, triticum erit vendentis, quia ipsum seminavit. Secus autem esset, si venditur cabella impregnata. Talem enim vendicionem poledrus in utero cabello existens, quia sine labore vendoris ibidem conceptus esset, merito sequeretur.

**Cl. 399**

Empcio sine precio certo esse non potest.

**Cl. 398**

Emphitheota non potest vendere seu alienare aliquid de hereditate, quam possidet, nisi ex licencia domini speciali.

**Cl. 421**

Perfecta empacione periculum pertinet ad emptorem.